R. Arnh. 28. Aug 44

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perillustri viro Dno Constantino Hugens Zulechemo Eq: Serenissmo Principi Auraico a consilys et secretis Theod. Graswinckel S.P.

Noli mirari Virorum summe, cum beneficiorum tuorum caussam, non ullo in officio, sed in magnitudine animi, liberalitate ac virtute tuâ positâ habere atque explicare consueveris, quod tanta te fiducia compellem, etiam nunquam non impeditissimum, et decumanis iisdem in se recursantium negotiorum fluctibus tantum non obrutum. Sed enimvero, Tu, factus cum sis ad omnem humanitatem, facile perpendes, esse naturalem pro laborantibus favorem, ipsasque adeo miserias habere quo se concilient hominibus humanarum rerum vices non iniquo aestimio remetientibus. Ita est, Domina Truquetia, latrix harum, filio suo, mortalium infoelicissimo, vitam ac libertatem exoratura, viam affectat ad invictissimum Heroa nostrum. Ipse casus, et quae benigniora sunt circumstantiarum bene sperare jubent. At nec eo minus admittendum ut vel minus apto tempore, vel importuno libellus exhibitus, miseram culpae aut praeposterae vel sedulitatis vel negligentiae faciat affinem, reamve. Captandi ex adverso sunt molles aditus et mollia fandi tempora, utque docet nos Juris regula, Rapienda occasio est quae praebeat benignius responsum. Tu Virorum summe, miserere supplicis, miserere ferentis indigna; quodque et posse et velle ex aequo benignum tibi numen concessit fave ac succurre. Sic et immensus ille bonorum largitor Deus teque tuosque aeternum foelicitet. Vale, meque tui constanter observantissimum, quo soles amore prosequi porro dignare. Iterum vale 23 Aug 1644 Hagae Comitatensi.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3824a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3824a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3824a

Wel Ed: Gestr: Hoog achtbare

Heere

Heer Constantin Huygens Ridder, Heer
van Zulichem, Raed en Secretaris van
Syn Hoogheyd en

Alwaer voor Isaac vā Gent

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3824a